



CAPITIS III.

Argumentum, partitio, analysis.

AD reprehensionem schismatum in Corinthiis rediturus apostolus, claudit argumentum de humilitate prædicationis suæ, translatione causæ in ipsos, & à vana sectatione magistrorum suorum eos dehortatur: conditionem doctorum ita extenuans, ut dignitatem ministerii tamen commendet: quia sint ministri & ὄργανοι Dei: qua occasione discrimen doctorum & doctrinarum facit: & porro eos ab inani admiratione humanæ sapientiæ ad modestiam hortatur.

Partes capituli duæ sunt.

PRIORE parte versibus tribus perstringit eorum ruditatem, & per hanc prædicationis suæ simplicitatem rursus excusat.

Propositio est: necesse habui vos ruditer docere ver. 2. *Lactis potui vos alui.* Ratio 1. quia non potui vobis loqui ut spiritualibus ver. 1. Ratio 2. quia solidiorem doctrinam non potuistis capere ver. 2. *Occupatio.* At interim profecimus. *Resp.* Ne nunc quidem capaces estis ver. 2. *Ratio:* quia adhuc carnales estis ver. 3. *Nam* B *adhuc.* Probat ab effectu carnis: quia zelo & contentionibus indulgetis. *Ibid.*

ALTERA est reprehensio dehortatoria schismatum, quæ ex cap. 1. 12. repetit ver. 4. *Propositio* principalis ponitur ver. 21. *Itaq;* nullus gloriatur in hominibus. *Ratio* 1. quia hoc arguit, vos esse carnales ver. 4. *Ratio* 2. à conditione doctorum: quia sunt tantum ministri & organa conversionis vestræ. Non ergo debetis eos constituere Dominos fidei vestræ, aut ab eis pendere ver. 5. *Ratio* 3. quia ministerium eorum nihil prodest absque Deo incrementum largiente. Nō ergo, quod solius Dei est, debetis eis tribuere, & pro

numinibus eos habere ver. 5 6. 7. *Ratio* 4. à paritate doctorum per ὁμοθυμαδον: etsi alii aliis plus laborant, & plus mercedis accepturi sunt: tamen omnes sunt unū. Non ergo propter ipsos debetis scindi in factiones ver. 8. *Is verò qui plantat & rigat unum sunt.* Antecedens probat. *Primo* generatim ver. 9. quia omnes sunt unius Dei administri in colendo Dei arvo, struenda Dei domo, ecclesia. *Deinde* speciatim declarat prolepsin de inæquali labore & mercede doctorum suo & aliorū exemplo, servata metaphora architecturæ: quia ipse posuerit fundamentum, alii superædificent, & quidem diversimodè ver. 10. Quodnam sit fundamentum suæ doctrine, & quòd verum ac solidum id sit declarat ver. 11. Aliorum superstruentium doctrinas 1. dicit esse varias, nec pariter fundamento consentaneas ver. 12. 2. Examen doctrinarum, cujusmodi sint, per ignem fieri docet ver. 13. 3. Ex impari labore impari mercedem doctoribus promittit ver. 14 15. *Ratio* 5. dehortationis à turpi. Spiritus Dei habitat in vobis, ut in templis. At spiritus Dei non est factiosus. Ergo nec vos esse debetis ver. 16. *Ratio* 6. à pernicioso,